

barbarorum millia eam sub vernum tempus adorti , totum annum & amplius obsidione premere perseverarunt . Est id oppidum sub altissimo monte situm , quem *Crojanum* proximi incolæ vocant , in abrupto undique saxo : quo evenit ut omnes hostium conatus diu qui in urbe erant , frustrati sint , fuissentque diutissime frustraturi , nisi fames eos (ut postea dicemus) domuisset . Exierat igitur jam prima obsidionis ætas , processeratque aliqua autumni pars : quum Veneti ad duo millia & amplius circa Lyssum coiverant , ut Crojanis laborantibus opem ferrent . Erant in his quingenti leves equites ; erat & Nicolaus Ducainus , Epirotici sanguinis homo , vir inter suos populares multi nominis . Italici equitatus auctores erant Antonatius Docius , & Lodovicus Tiphernas : primos peditum ordines Carolinus ducebat & Leo Illyricus . Aderant & alii plerique viri fortes , quorum alii aliis centuriis præerant : hi postridie nonas Septembris ad hostem quadrato agmine ire pergunt . Habebat barbarus castra quatuor & amplius millia passuum a Croja , in planicie , quam incolæ *Tyrannam* vocant . Congressi igitur prælio , celeritate equorum fretus hostis , Venetam aciem turbare nitebatur . Contra Veneti pedites per occasionem extra ordinem pugnantes , ubi hostem cum cæde repulissent , ne forte a suis excluderentur , se inter confertos equites recipiebant : atque multi interim ex hostibus sagittis , aut plumbea glande cadebant . Et jam id certaminis genus a sexta diei hora ad vesperam se extenderat : quum barbari aperta fuga (vera ne an facta , dubitari potest) effusi pro victis terga vertunt . Instat viator Venetus , eosque ad castra usque insequitur . His captis , quia omnis opulentia erant referta , confessim viator ad prædam discurrit , quam paucissimi viatorium prosequuntur . Ex oppido quoque facta repente eruptione , duo hostium castella , quibus illi vias ad urbem insederant , cum multo commeatu capiuntur , capta subito Crojani evertunt . Sed ejus viatoriæ læticia omnino brevis fuit . Nam dum Contarenus legatus & ipsi ductores consultant , deberent ne , pulsis

*Veneti in
Epiro ad
Crojam præ-
lio victi in-
gentem cla-
dem acci-
piunt.*